

let dubitari an sit recepta quoad hanc partem, seu abrogata per contrariam consuetudinem, et an possit in illa habere locum expositio, ut non excludat necessitatem sententiæ declaratoriae, et quidem hoc posterius valde probabile videtur; tum quia non dicit *ante sententiam*, absolute, sed *ante condemnationem*, seu *non expectata condemnatione*; tum etiam quia, licet dicat *ex nunc*, non addit *pro tunc*; et ita, licet lex ferat sententiam condemnatoriam, non designat tempus pro quo illam fert, nec excludit sententiam declaratoriam; tum denique quia etiam hoc modo tam juramentum, quam reliqua verba habent magnos effectus: nam ratione juramenti tenetur quis statim ac declaratur de crimine, solvere quadruplum sub pœna perjurii, nec potest occultare bona quibus potest solvere pœnam, imo nec potest negare quantitatem munerum quæ recepit, etiamsi in sententia non declaretur, sed tantum crimen recipiendi munera. Item ad hoc etiam obligat illa lex sua propria vi præter obligationem juramenti: imo ita obligat, ut facta declaratione delicti nullus inferior iudex possit illam minuere, qui est etiam magnus effectus illorum verborum. Et saltem hoc modo videtur mihi illa lex observanda, nec posse dici abrogata contraria consuetudine, quia nec talis consuetudo probari potest, nec tolerantia principis scientis illam.

9. *Ex Conc. Lat. et Motu Pii V teneri beneficiarios non recitantes restituere fructus correspondentes beneficiis pro rata.* — Tertium exemplum afferri solet ex Concil. Later. sub Leone X, et Motu quodam Pii V, ubi clerici beneficiarii non recitantes divinum officium fructus omnes omnium beneficiorum singulis diebus respondentes pro rata restituere obligantur in conscientia, statim, et absque alia declaratione, seu sententia. Ita enim esse illud præceptum, et pœnam in eo impositam intelligenda, late ostendi lib. 4 de Orat., cap. 29 et 30; sed nihilominus hoc exemplum non pertinet proprie et directe ad hanc regulam quam modo tractamus, quia illa pœna privativa potius est quam activa, ut sic dicam. Lex enim illa immediate impedit acquisitionem fructuum beneficii propter omissionem officii, quo posito impedimento ex natura rei sequitur obligatio respectu fructuum, quia nemo potest retinere sibi quod suum non est. Et ita interpretantur omnes illud præceptum, et colligitur aperte ex verbis concilii, tum ibi: *Beneficiorum suorum fructus suos non faciat*; tum maxime ibi: *Tanquam injuste perceptos erogare*

teneatur. Illud ergo prius factum est virtute illius legis, secundum autem sequitur ex vi justitiæ, non quia per se et immediate in pœnam impositum sit.

10. Dices: interdum ex vi illius legis, beneficiarius tenetur se spoliare fructibus jam perceptis, et quos vere fecerat suos: ut si quis grossam beneficii acquisierit et receperit, jure illam accepit, et fecit suam; et nihilominus, si postea recitare desinat aliquibus anni diebus, tenetur partem grossæ illis diebus pro rata respondentem restituere, juxta declarationem aperte factam a Pio V: ergo nascitur hæc obligatio immediate ex pœnatione legis, non ex alia obligatione justitiæ. Sed hoc obstat, nam hæc obligatio restituendi partem illam ex eodem fonte et eodem modo nascitur. Cum enim expresse concilium dicat, *fructus suos non faciat, sed eos tanquam injuste perceptos pro rata restituere teneatur*, et Pius V non mutet nec augeat hanc pœnam, sed tantum ratam illam declaret, non possumus nos ad aliquam restitutionem obligare ex vi illius legis, nisi eodem modo et titulo. Dico ergo, ex vi illius legis factum esse, ut in dicto casu non percipiat fructus omnes grossæ, nisi sub conditione et onere non omittendi peccaminose divinum officium. Unde, si tunc recepisset grossam totam cum animo non recitandi decem diebus, injuste recepisset, suamque non fecisset partem illam, repugnante lege concilii. Quando ergo bono animo et proposito totam recipit, quasi anticipata solutione, suam quidem facit, non tamen omnino plene et absolute, sed sub modo et conditione tali ut illa non impleta amittatur dominium, ex vi legis quæ illud a principio infirmavit, ut sic dicam, et fecit pendens a futuro eventu, qui effectus legis privativus etiam fuit, et ex illo nascitur postea ex natura rei obligatio restituendi.

11. Quamvis autem hæc vera sint, nihilominus ex illa lege sumitur probabilis confirmatio dictæ regulæ, nam sicut lex humana imponit ipso facto pœnam privativam, ex qua necessario sequitur obligatio ad actionem pœnalem, ita potest obligare ad similem actionem pœnalem immediate. Colligitur etiam ex illis decretis, ut lex obliget per se ad actionem pœnalem, sive mediate, sive immediate, non oportere ut semper expresse declaret formalibus verbis obligationem in conscientia ante omnem sententiam, sed satis esse ut id explicet per aliquem effectum, qui subsistere non possit sine tali obligatione, vel quia necessario illam inferat, sicut ibi, ex effectu impe-

diendi acquisitionem domini, sequitur obligatio restituendi. Estque simile huic exemplum in Conc. Trid., sess. 23, c. 1 de Reform., ubi de beneficiario non residente modo ibi præscripto dicitur: *Statuit sancta synodus, eum pro rata temporis absentis fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos omnes sibi detinere posse, etc.*

12. *Extensio prædictæ regulæ ad pœnas quæ proxime privant actione humana, ex qua sequitur afflictio corporis.* — Atque ex dictis in hoc tertio exemplo, intelligi potest hanc regulam positam de pœnis consistentibus directe in actione hominis, cum proportionem applicandam esse ad pœnas quæ proxime privant actione humana, ex qua privatione sequitur pœnalis afflictio corporis; nam hæc pœnæ, ut supra dixi, moraliter æquivalent illis quæ in actione consistunt, et ideo eadem doctrina ad illas est applicanda. Exemplum est in pœna jejunii, quæ non tam agendo, quam carento, seu abstinendo impletur. Hæc vero non tam est pœna civilis quam canonica; et nihilominus non invenio eam ipso jure impositam in jure canonico. Nam licet Cord., d. q. 36, ad hoc alleget, c. *Quicumque*, 6, q. 1, et c. *Ut mensura* de Empti. et vendit., et c. *Accepisti*, de Sponsa duorum; in his et similibus juribus nullum est verbum indicans talem obligationem, vel sententiam latam; solum enim dicitur, *ut contrahens cum duabus, et perjurus, et defraudans justam mensuram, quadraginta dies in pane et aqua peniteat*; quæ verba non obligant statim ad illam pœnitentiam agendam, donec imponatur, ut de perjurio explicui l. 4 Juram., c. ult., in fine; et eadem ratio est de reliquis. Igitur in jure communi non habemus hujus rei exemplum; tamen in regulis religiosis posset facile reperiri, in quibus servanda sunt quæ supra de aliis actionibus pœnalibus diximus.

13. *De pœna famis usque ad mortem.* — Aliud exemplum hujus pœnæ est de fame, et carentia cibi sustinenda usque ad mortem; hanc enim pœnam interdum leges imponunt: tam acerba autem est, ut non possit ipso facto imponi. Imo etiam credo nec per sententiam iudicis obligari hominem in conscientia ad illam implendam, si comedere possit. Solet autem quæstio esse an tunc possit non comedere, et sinere se mori, si facultas suppetat comedendi, quæ ad materiam de homicidio spectat., 2, 2, q. 64. Aliud denique exemplum est de pœna permanendi in carcere, vel aliquo loco; nam

illa etiam sustinetur per privationem actionis, scilicet, non fugiendo, et hæc etiam non solet imponi per legem, sed per mandatum hominis; de quo quando ponitur in solam pœnam, vel in ordine ad solam pœnationem, dubium est an possit obligare in conscientia, de quo alias. Nam quod ad nos attinet, leges per se ad hoc non obligant in conscientia, maxime quando grave damnum inde timetur; absolute enim existimo non esse in usu tales leges, et ideo nihil amplius de illis in præsentem dicere necesse est. Nam quæ tractari solent de justa pœnatione rei fugientis e carcere in 2. 2 habent proprium locum, q. 69, art. 4.

CAPUT VIII.

LEX IMPONENS PŒNAM PRIVATIVAM IPSO FACTO, QUANDO OBLIGET IN CONSCIENTIA AD EXECUTIONEM EJUS ANTE SENTENTIAM.

1. *Quoties in canone censuram ferente additur, ipso jure, vel ipso facto, aut quid simile, esse canonem late sententiæ.* — Venio ad pœnas privativas (ut communiter appellantur) quæ per ipsam legem immediate fieri possunt, quas in tres classes distinguo. In prima pono censuras; in secunda privationes quasdam, quæ non consequuntur suum plenum effectum sine actione hominis, ut sunt privatio beneficii acquisiti, vel priorum bonorum; in tertia constituo quasdam privationes, quæ per legem solam integre fiunt, et non requirunt per se aliquam actionem hominis, nec ad illam obligant, sed solum ad abstinendum ab aliqua receptione, vel actione, ut inhabilitas ad matrimonium, ad beneficium, ad ferendum suffragium, et similia. Et in hoc tertio ordine posset comprehendi irregularitas; illam vero omitto, quia, ut supra dixi, irregularitas talis pœna est, ut nunquam nisi ipso facto incurratur, et ideo quomodocumque feratur, ipso jure imponi censetur, et incurri ante sententiam declaratoriam, nisi necessaria sit, ut infamia compleatur, ut in propria materia latius dictum est. De censuris etiam in particulari diximus t. 5, in 3 p., disp. 3, sect. 3, ubi generaliter diximus, inter omnes pœnas privativas censuras esse, quæ certius et facilius incurruntur quantum ad conscientiam ipsius delinquentis ipso facto et ante omnem sententiam declaratoriam criminis; ideoque quoties in canone censuram ferente additur *ipso jure*, vel *ipso facto*, aut quid simile, esse canonem late sententiæ. Quæ est communis doctrina fere sine

controversia, et pro ratione sufficit, quod verba illa in rigore sufficiunt ad hoc significandum, et quod communis usus, et sensus, ac observantia talium legum ostendit, in hoc sensu usurpari, neque in his canonibus temperatum esse aliquo modo rigorem talium vocum. Cujus ratio esse potuit, vel quia hæ pœnæ sunt spirituales, et medicinales, et ideo animam statim ligare censentur, et cum hac veneratione, et timore semper susceptæ sunt, vel quia per censuras separatur quis a communibus bonis Ecclesiæ tanquam indignus, et ideo statim obligatur in conscientia ut se separet et absteat. Pertinet enim ad pastorem Ecclesiæ separare indignos, et illis præcipere ut se separent, quod præceptum in ipsa censura includitur.

2. *In privationibus et inhabilitatibus per particulas, ipso jure, eo ipso.* — Omissis ergo censuris ac irregularitate, de aliis privationibus et inhabilitatibus sit prima generalis regula. Quoties in lege, per quam hujusmodi pœna imponitur, aliqua ex his particulis, *ipso facto, ipso jure, ex nunc, eo ipso*, vel alia æquivalens ponitur, pœna fit aliquo modo per ipsam legem, et hæc continet sententiam latam quoad aliquid, et quoad illud vim habet obligandi in conscientia ad pœnam. Hanc regulam sumo ex communi sententia doctorum quos allegavi in cap. 5, et refert etiam Tiraq. dicto verbo *Revertatur*, n. 259, et potest sumi ex cap. ult. de Præscript., in 6, ubi duobus modis dicitur quis privari bonis in pœnam, scilicet, vel per sententiam, vel ipso jure. Inde enim colligimus particulam *ipso jure*, semper efficere aliquid in quo non expectetur sententia ferenda. Unde ratio regulæ est, quia verba in lege non sunt superflua nec falsa; non possunt autem esse vera et utilia, nisi aliquid operentur ante sententiam; ergo aliquem effectum habet lex vi talium verborum circa pœnam quam imponit. Dices poni ad terrorem, vel ad movendum judicem, ut cum rigore pœna exequatur. Sed contra, quia hoc modo enervari possent et frustrari omnes leges pœnales, nam semper dici posset, verba poni ad terrorem. Est ergo absurda illa interpretatio, et contra communem usum verborum, quæ synonyma non sunt, et potius est verborum corruptio. Quamvis enim legislator interdum multiplicet synonyma verba, quia nec repugnat veritati et efficacæ legis, eundem effectum multis modis significare, nec est omnino superfluum, quia fit ad indicandum rigorem, et ad majorem certitudinem et claritatem; nihilominus, quando

verbum propriam vim et significationem habet, etiamsi unum tantum signum ponatur de se sufficiens ad indicandam voluntatem legislatoris, satis erit ad effectum legis, quia non sunt cogendi legislatores ad exaggerationem verborum semper adjungendam: hoc enim contra rationem est, et frequenter non expedit. Sit ergo certum, hujusmodi leges semper operari aliquid ratione talium verborum: quid vero illud sit in his pœnis privativis explicandum superest.

3. *Secunda regula.* — Sit ergo secunda regula. Quoties lex fert pœnam privationis rei propriæ, et jam obtentæ, quæ sine actione hominis non potest plene mandari executioni, tunc talis lex, licet aliquem effectum pœnalem per se faciat, non tamen inducit statim absolutam privationem, nec obligat in conscientia ad illam exequendam quæ ex actione rei pendet, ante sententiam declaratoriam criminis, nisi ex aliis verbis legis, vel ex materia, aut consuetudine aliquid amplius colligatur. Hæc regula sumpta est ex doctrina magis recepta scribentium in hac materia. Prima ergo pars, affirmans illam legem aliquid per se operari, probatur sufficienter ex proxima præcedenti regula; ostenditur autem clarius declarando quid operetur. Nam primo ex vi illius legis, ad incurrandam talem pœnam, et obligationem ejus, non est necessaria sententia condemnatoria, sed sufficit declaratoria, nam condemnatoria per legem ipsam fertur. Quia ex vi dictionum verborum aliqua sententia fertur, et non declaratoria criminis, ut per se patet: ergo condemnatoria pro tali tempore vel sub tali conditione, si de delicto juridice constet. Confirmari hoc potest ex l. *Ejus qui delatorem*, ff. de Jur. fisci, ubi Bart. id advertit, et late Felin., referens plures in c. ult. de Rescrip. n. 37. Secundo, hinc fit ut talis condemnatio post factam declarationem extendatur seu retrotrahatur usque ad diem commissi criminis, quia ex tunc lata est sententia, et propter hunc effectum posita est illa particula, et ita sumitur ex l. ult. c. ad Leg. Jul. majest., et tradunt doctores citati et referendi. Tertio, hinc etiam fit ut, licet talis lex non obliget in conscientia ante declarationem delicti ad dimittendam rem qua privat, vel abstinendum ab usu ejus, nihilominus aliquo modo diminuat et infirmit jus circa talem rem et potestatem utendi illa. Hoc patet, quia, eo ipso quod potest pœna illa retraheri postea usque ad diem commissi criminis, necesse est ut potestas utendi illa remaneat jam libera et absoluta, sicut antea erat,

et consequenter ut jus in illa fuerit diminutum, ut statim exemplis magis declarabitur. Sumiturque ex cap. *Cum secundum leges*, de Hæret. in 6, cum ibi notatis, et ex his quæ notant, et late referunt Tiraq. d. § *Revertatur*, n. 267 et 268, et Covar., in 4, 2 p., c. 6, § 8 et 9, et alii statim allegandi.

4. *Sententia contraria regulæ posita.* — Secunda vero pars negativa controversa est inter doctores. Nam communiter juristæ asserunt ex vi talis legis teneri delinquentem in foro conscientie ad relinquendam rem qua per legem privatur, sive sit beneficium, sive officium, sive bona temporalia, etiam omnia quæ aliquis possidet, si pœna de omnibus universe loquatur. Ita tenent Abb. in c. 1 de Const. et Felin. in c. *Rodolphus*, et ult. de Rescriptis, n. 38; Matthæ. de Affl., et alii relati per Tiraq. supra, n. 291, quos et ipse sequitur; et Navarr. in Sum., c. 23, n. 67, ubi in hoc æquiparat privationem beneficii, et similes privationes, censuris et irregularitati. Inclinat etiam Cord., dicta q. 36. Sequitur Castro, l. 2 de Leg. pœn., c. 6, et lib. 3, c. 10, et Ant. Gom., tom. 3 Variar., c. 2, n. 5. Fundamentum est, quia verbum *ipso jure*, vel *ipso facto*, in rigore hoc significat, et est efficax: ergo inducit talem obligationem, quia nihil est quod impediatur; nam supponimus fore justam pœnam, etiamsi cum hoc rigore feratur. Antecedens probatur exemplo censurarum: nam si in eis illud idem verbum habet hanc significationem, et efficaciam, ubique illam habebit. Neque refert, quod simplex illud verbum sine alia adjunctione, vel exaggeratione ponatur. Nam (ut dicebam) non tenetur legislator multiplicatis verbis suam mentem indicare, sed satis superque est, quod uno simplici et sufficiente illam manifestet.

5. *Auctores affirmantes regulam prædictam, quia esset oppositum nimis acerbum.* — Nihilominus regula posita non solum segura, sed etiam probabilior est, cui multum favet Innocent. in c. *Cum nostris*, de Concess. præbend., n. 4. Citari etiam potest Decius in c. 1. de Constit., lect. 1, n. 20. Sed non recte sentit, quia generaliter de pœna loquitur, et non distinguit inter legem imponentem pœnam simpliciter, et ipso facto, sed illam æquiparat. Felinus etiam in c. *A nobis*, de Simon., dubitat de sententia Panormitan. quam prius tenuerat, et cogitandam relinquit; possuntque in favorem hujus sententiæ adduci multa quæ idem Felinus accumulat in dicto c. *Rodolphus*, n. 37. In eadem inclinatur Bald. in l. 2, c. de

Vectigal. et commiss. n. 2, dum ait, eum qui cadit in commissum non teneri in foro animæ, etiamsi moriatur: tenet etiam Cagnol. *Si quis major*, c. de Transact., n. 160, et ibi Alexand. de Imol. Item sentit Jul. Clar., l. 5, q. 73, n. 4; tenent etiam Archid. et Joan. Andr., quos refert et sequitur Sylvest., verb. *Assassinus*, n. 4, et verbo *Hæresis*, l. q. 8, n. 12 et 13; Cov., dicto § 8, n. 10; Conrad. tract. de Contract., q. 7; Penna referens alios in Direct. Inquis., 3 part., comment. 158, ad q. 129. Multi autem ex his fundantur in generali principio, quia talis lex esset nimis acerba vel iniqua; cogeret enim homines ad se prodendum, et ad exequendam in se acerbissimam pœnam, ad quod nulla lex obligat. Sed hæc omnia non sunt universaliter vera, ut constat ex dictis et dicendis, et ideo probatio non est efficax.

6. Ratio ergo solum est, quia particula illa *ipso facto* vel *ipso jure*, in his legibus posita sufficientem effectum habet, juxta priorem hujus regulæ partem: ergo non est amplius extendenda in his temporalibus pœnis. Probatur consequentia, tum ex principio generali, quod pœnæ temperandæ sunt potius quam augendæ; tum etiam quia alias sæpe tales leges essent nimis rigorosæ, et fere inhumanæ; tum præterea quia communis usus ita interpretatur hujusmodi leges, et ideo jura ipsa quando majorem obligationem imponere volunt, plura etiam verba addunt, et magis rem explicant, ut videbimus. Denique confirmari hoc potest, quia in ipso jure videtur ita temperatus rigor talium legum in cap. *Cum secundum leges*, de Hæret. in 6. Nam ibi explicatur, in pœna confiscationis bonorum, quæ propter hæresim imponitur, simul conjungi, quod sit ipso jure imposita, et quod ad actualem privationem requiratur sententia declaratoria criminis; ergo habemus ex jure particulam illam *ipso jure*, in hujusmodi pœnis non excludere necessitatem sententiæ declaratoriæ. Recte enim infert Sylvest. supra, si in crimine læsæ majestatis divinæ recipit illa particula illam moderationem, ut non excludat sententiam declaratoriam, a fortiori dicendum esse idem in inferioribus delictis.

7. Responderi vero potest, in illo textu non dici, non teneri reum in conscientia ad exequendum in se talem pœnam ante sententiam declaratoriam criminis, sed solum non posse ab aliis cogi ad illam, seu bonis suis privari. Quod quidem longe diversum est, et distinctam valde rationem habet. Nam qui delinquit, conscius est sui delicti, et ita quoad se

jam habet prolatam sententiam sui criminis, et sine injuria, vel scandalo potest poenam sustinere a seipso; quoad alios vero non est delictum de se sufficienter notum, donec per sententiam declaretur; unde si aliis daretur licentia exequendi poenam ante talem declarationem, esset occasio inferendi injurias, aliaque scandala inde orirentur. Fateor equidem decisionem illius juris non esse formaliter, et expresse de quaestione quam tractamus, alias nulla fuisset de bonis hæreticorum controversia. Nihilominus tamen valde probabile sumitur argumentum, quia, si lex puniens ipso jure in bonorum confiscatione, non dat jus fisco ad usurpanda illa bona ante sententiam declaratoriam criminis, etiam non auferet ipsi possidenti jus retinendi illa; unde fit ut non obligetur in conscientia se illis privare ante sententiam. Confirmarique hoc potest exemplis quæ adducemus post sequentem regulam. Nunc affero unum ex concilio Trident. sess. 22, cap. 11 de Reformat., ubi fertur ipso jure poena privationis juris patronatus contra laicos patronos, et beneficiorum contra clericos usurpantes bona ecclesiarum. Et tamen certum est per illam legem non obligari hos delinquentes ad se spoliandos, quia verba non cogunt ad interpretationem adeo rigorosam.

8. *Explicatur particula ipso facto.*—Fundamentum autem contrariæ sententiæ facile dissolvitur ex dictis. Particula enim *ipso facto*, vel quælibet æquivalens, capax est amplissimæ significationis sententiæ latæ absque ulla necessitate declarationis judicialis, ut probat exemplum de censuris. Oportet autem ut vel ex ipsomet jure, vel ex communi usu constet, in hoc sensu, et hac intentione poni in lege a egislatore. Hoc autem in censuris invenitur, et fuit congruum propter rationem supra factam: in aliis vero poenis nec locum habent prædictæ rationes, nec etiam ex jure, vel consuetudine constare potest ille sensus, quando major declaratio in lege non additur; imo contrarium constat consuetudine, et insinuat in jure, ut dixi. Possuntque multa exempla afferri legum et canonum, in quibus, non obstante illa particula, non statim oritur obligatio ad poenæ executionem, quatenus ex ministerio hominis pendet, ex quibus exemplis nonnulla statim afferemus, explicando sequentem regulam. In qua simul exponemus ultimam partem hujus regulæ, per quam illam limitamus, nisi ex materia vel adjunctis verbis aliud colligatur.

9. *Tertia regula.*—Tertia igitur regula sit:

Leges poenales imponentes privationem ipso facto inducunt absolutam privationem bonorum quam intendunt, et obligationem in conscientia ad exequendam totam poenam inde subsecutam, etiamsi ex actione hominis delinquentis pendeat, quando adduntur alia verba in lege, quæ hanc intentionem legislatoris satis explicant, vel quando lex esset inutilis et inefficax, nisi hunc effectum et obligationem induceret. Juxta hanc assertionem mihi valde placet communis opinio Panormitan. et aliorum, quam in proximo puncto, priori loco retuli, et eam admittunt alii allegati pro nostra sententia, uno vel alio excepto, ut in sequentibus exemplis ostendam: ratio autem assertionis facile reddi potest. Nam posterior pars probata est in simili in capite præcedenti, ubi ostendimus non esse interpretandam legem cum ipsius injuria et vilipendio, et ideo extendendam esse ad sententiam latam si necessarium sit ad vitandum hoc incommodum: ergo idem in præsentia a fortiori dicendum est, et omnia ibi dicta possunt hic eum proportionem accommodari, neque ea repetere oportet. Ratio vero prioris partis et totius regulæ est, quia legislator humanus potest hoc modo per se, et sua voluntate efficere talem privationem ex justa causa, et obligare ad similes actiones, vel omissiones ex simili causa, ut inhabilitat personam ad matrimonium, vel prohibet ferre suffragium quando expedit, vel aufert bona reipublicæ necessaria; ergo idem potest efficere in poenam justam: ergo si hanc voluntatem satis explicet, revera id facit. Neque obstat quod inde necessitate quadam morali sequantur actiones poenales exequendæ ab ipso reo; tum quia ostensum est, has etiam actiones posse directe imponi in poenam ipso facto, et ante omnem declarationem, sicut possunt præcipi ob alias rationes justas; tum etiam quia semper supponimus tales debere esse hujusmodi actiones, ut non excedant rationem justæ poenæ, considerata qualitate delicti, et reipublicæ necessitate, et humanæ naturæ morali conditione, ac possibilitate. Unde etiam per se loquimur de hac obligatione; nam si per accidens interdum non potest talis executio ab ipso fieri sine magno scandalo, vel sine magna infamia, aut alio gravi incommodo, quod vix potest homo sibi ipsi inferre, tunc excusabitur quis ab obligatione, seu executione legis; id tamen est per accidens, nam lex per se obligat.

10. *Exempla tertiæ regulæ.*—De obligatione ad ordines illius qui recipit beneficium paro-

chiale.—Magis autem explicabitur hæc regula, adductis nonnullis exemplis, non ut illa quæ ad alias materias pertinent hic ex professo tractemus, sed solum attingamus ea quæ ad generalem doctrinam legum intelligendam fuerint opportuna. Primum ergo exemplum sit de legibus canonicis, quæ propter aliqua delicta privant omni titulo et dominio beneficii legitime antea obtenti et possessi, et consequenter obligant ad resignationem beneficii jam obtenti, quæ resignatio actio positiva est et satis onerosa, ac poenalis. Sumiturque ex capite *Licet canon*, de Elect., in 6, ubi recipiens beneficium parochiale absque ordine sacerdotali, si intra annum non ordinetur sua culpa, ad illud renuntiandum obligatur. Quod autem hæc obligatio sit statim in conscientia, his verbis apertissime declaratur: *Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit præsentis constitutionis auctoritate privatus.* Hinc enim constat hanc poenam esse immediate privativam; ad illam vero sequi obligationem renuntiandi, quia nemo potest retinere beneficium quod suum non est. Unde etiam obiter colligitur legem non solum posse ipso facto imponere poenam privativam rei nondum habitæ, impediendo illius domini acquisitionem, sed etiam rei habitæ, privando dominio jam acquisito: nam in illo casu jam ille erat dominus beneficii, et tamen illo privatur ante omnem monitionem, et a fortiori ante omnem sententiam declaratoriam, ut ibi sentiunt Glossa et doctores, et Navar. in Sum., cap. 25, n. 118.

11. Dicunt vero aliqui illam non fuisse poenam impositam per legem ecclesiasticam, sed fuisse declarationem legis naturalis: nam ordo sacerdotalis necessarius est ad officium propter quod datur beneficium, et ideo qui non ordinatur debito tempore, eo ipso ex natura rei amittit titulum beneficii, quod in illa lege fuit declaratum. Sed hoc est contra verba illius canonis: *Sit præsentis constitutionis auctoritate privatus*; non ergo est illa lex tantum declarativa, sed etiam constitutiva, et effectiva. Deinde falsum est quod assumitur; nam, licet ex natura rei sequatur ex beneficio parochiali obligatio ad sacerdotium, et ideo graviter peccet qui est in mora notabili recipiendi illum ordinem, non tamen idcirco privatus est beneficio ex natura rei, quia semper potest emendari et retinere beneficium, si ordinetur, stando in naturali obligatione. Unde, licet in illo capite determinetur tempus implendi obli-

gationem illam ad annum, quæ determinatio non erat ita certa, nec universalis ex natura rei, etiam quoad obligationem; nihilominus, si canon ille non addidisset poenam illam, sed solam obligationem suscipiendi ordinem ad tale tempus definisset, non teneretur transgressor illius legis dimittere beneficium, sed posset post annum, vel etiam post plures annos ordinari, et retinere beneficium sine nova collatione, aut novo titulo; quia in hoc nihil invenitur contra legem naturalem: fuit ergo illa poena ipso jure lata per illam legem.

12. Aliter vero dici posset illam non fuisse propriam poenam legalem, sed conventionalem, quia ex vi illius legis datur beneficium sub ea conditione, et dependentia ab illius complemento. Sed hoc licet non multum referat, gratis dicitur; tum quia lex illa effectum habere potuit in beneficiis acceptis, et possessis ante illam legem: tum quia etiam nunc operatur lex illum effectum in poenam negligentiae, et virtute sua sine respectu ad conventionem. Quia, licet is qui recipit beneficium ignoret poenam illius legis, nec velit acceptare beneficium sub conditione, sed absolute, nihilominus lex operatur illum effectum.

13. *Episcopus qui intra sex menses a confirmatione non consecratur, privari episcopatus.*—Secundum exemplum, præcedenti simile, sumi potest ex Concilio Trident., sess. 23, cap. 2 de Reformat., ubi simili modo punit Episcopus qui intra sex menses a confirmatione sua non consecratur, privando illos episcopatus. Hanc enim legem æquiparat præcedenti Navar. in Summ., cap. 25, n. 118, et eodem modo ait obligare Episcopum ad renuntiandum episcopatus jam vacanti virtute illius legis. Sed adverte ibi non haberi omnia verba quæ in superiori canone, sed tantum dici, *sint ipso jure privati*; omittuntur vero illa, *nulla etiam præmissa monitione*; et ideo, licet verba illa contineant sententiam latam, tum propter verbum præteriti, tum propter particulam *ipso jure*, nihilominus sufficienter verificantur de sententia condemnatoria, et limitari possunt, ut non obligent nec habeant suum effectum ante sententiam declaratoriam criminis. Nam in his poenis rigorosis subintelligenda semper est necessitas hujus sententiæ, quoties in lege expresse non excluditur, ut in præcedenti regula diximus, et ita hoc exemplum melius accommodatur ad præcedentem regulam, quam ad præsentem.

14. *Tertium exemplum, contra alienatores bonorum suorum beneficiorum.*—Tertium exem-